

Maxmilianus agat uitam cum coniuge foelix,  
Cumq; alijs foelix regna Boënia regat.  
Carolus ingenio præcellens diuite, vitam  
Da cum Ferdnando fratre beatus agat.  
Donaq; da sapiens uitæ quæ commoda nostræ,  
Esse tua nosti pro bonitate Deus.  
Quod superest agimus grates hoc tempore, uestris  
Dum dent officijs nostra deinde uices.  
Quilibet oro boni præsentem consulat actum,  
Tuq; pater nostræ Rector E D E R E scholæ.

V V O L F G A N =  
GV S LAZIVS MEDICVS INVI-  
CTI SS: ROM: IMPERATORIS CON-  
SILIARIVS ET HISTORICVS CLA-  
RISSIMO POETE LAUREATO  
Henrico Ecardo Norinber-  
gensii amico colendo.

S. M. D.

C Vius amicitiae nullus fuit hactenus usus,  
Hanc volui scripto sollicitare tamen.  
In quo si tardam, hanc tamen à me sume salutem,  
Et tibi seruatæ munus amicitiae.

H

Quam

Quam (doleo) nullo tibi declarasse fauoris,  
Signo, cum caperes præmia digna tuis.  
Præmia digna tuis, Sanctæ & sudoribus artis,  
Ingenio ostendens uim super esse tuo.  
Forsitan hanc videor tardè excusare querelam,  
Nec tulerim laudi carmina digna tuæ.  
Est quidem peccatum à me cogorq; fateri,  
Ignorantis eum (si modo culpa fuit)  
Actum, quem doleo primum accepisse diebus,  
Lapsus heri, uel qui proximus inde fuit.  
Pro curis igitur surgat quod gloria sumptis,  
Ingenij æterni quam tibi præstat honor.  
Gratulor ex animo, ac ea sis quod adeptus honoris,  
Quæ pridem poteras dona referre schola.  
Dona referre schola Graiae coluere Camenæ,  
Quamq; ferunt Pyndi constituisse iugis.  
Qui Medico est uobisq; Deus communis Apollo,  
Quiq; colunt doctis sydera clara poli.  
Is licet (unde tenes præclarum Eccarde fauorem,  
Numinis ac hodie est lata corona tibi)  
Dilectam irriguis Daphnem sacrarit in oris,  
Cæperit & fructum ex arbore (laurus erat)  
Nunc tamen ista premunt hostes fideiq; trucesq;  
Quæq; Deus patribus tunc loca sacra dedit.  
Vnde puto Romam pulsas abiisse per æquor,  
Quis multo Oenotria ex tempore culta fuit.

Tempo.

Tempore culta fuit pariter Germania foelix,  
Artibus innumeris lumina clara ferens.  
Fæcunda ingenij cui cedit & Itala tellus,  
Hellas qua pariter uincitur ingenij.  
Rhabanus, Hermoldus, Lygur, ante & secula vates,  
Plura docent stricatum qui tenuere sonum.  
Quos inter Celtes Phæbeo dignus amore,  
Primus honorem artis, laurea ferta tulit.  
Laurea ferta tulit tibi quæ modo Maximus orbis  
Ferdnandus, merito Rector habere dedit.  
Et quibus ad sensit princeps & maximus alti.  
Musarum Aemilius anchora sancta chori.  
Anchora sancta chori in quo nūc super eminent omnes  
Carmina Fabricius qui polit arte bona.  
Qui Mundi cælique uias & sydera nouit,  
Qui tulit & capiti premia digna tuo.  
Dij vobis faciles hodie quæ cuncta dederunt,  
Auspicijs profint uberiora tuis.  
Det pariter Christus sic incrementa salutis,  
Qui poterit meritas reddere solus opes.  
Et tibi Pegasides blandissima carmina dicent,  
Et sis Castalios dignus adire lacus.  
Siue uelis stricte seu dicere verba solute,  
Sepe lepos, veniat gratus ab ore tuo.  
Interea indocti spernas ne uota Poëtæ,  
Iuditio admittens cuncta subesse tuo.

Officio partim & tibi quæ transmittit amice,  
Culta minus ( tempus causa laboris erat  
Quo raptus studijs loca uallis amæna reliquit,  
Castalijs sacras nec babit amnis aquas)  
Vt tamen hæc repetam, cupio condicere coenam  
Te mihi cum verso Phœbus ab orbe redit.  
Vtq; velis Lauterbachum (rogo) corporis umbram,  
Ducere quiq; dedit laurea serra Fabrum.  
Sed tua nunc cursus teneat fortuna perennes,  
Nestoreum semper tempus adusque uolo.  
Vt tibi non cesso nunquam non fausta precari,  
Sic tibi contingant plura sed esse volo.  
Quæ nunc exciderant tu carmina fronte serena  
Excipe, tu mendam corrige si qua subest.

M A G N I F I C O  
VIRO D. PHILIPPO GUNDELIO  
I. V. DOCTORI CAESARIS  
CONSILIAR IO. PATRONO  
S V O O P T I. FABRI-  
cius S.

I Ngenio & sanctis virtutibus aucte Patrone,  
Nostra quidem maiora tibi debere fatetur  
Musa, nec id tacito non dudum pectore voluit  
Attamen